

Actum est hoc apud Portum Fangos tercio nonas Iunii anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo secundo. Signum † Petri Dei gracia regis Aragonum predicti qui hec omnia supradicta laudamus et firmamus. Testes rogati huius testamenti sunt: Raimundus Dorchal, Atho de Fossibus<sup>j</sup>, Negro Lopis miles, Ferrarius<sup>k</sup> de Apiaria et Arnaldus de Bas miles. Sig † num Petri Marci notarii publici Barchinone et tocius terre et dominacionis illustris domini regis Aragonum qui hec scripsit et clausit die et anno quo supra.

## II.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi.

§ 1. Anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quinto, quarto nonas Novembris, illustris dominus P(etrus) Dei gracia rex Aragonum in presencia mei notarii et testium subscriptorum, iuramento per eum prestito ad sancta Dei evangelia in manibus guardiani fratrum Minorum Villefranche confessoris sui presentibus venerabili patre I(ozberto) episcopo Valencie ac discretis viris H(ugone) preposito Marssiliensi<sup>m</sup> Poncio preposito Celson(ensi)<sup>n</sup> et Bertrando de Villafrancha camerario Terrachon(ensi) stare mandatis ecclesie in omnibus et per omnia libere et absolute, et mandato sibi facto ex parte dicti guardiani confessoris sui quod regnum Sicilie redderet et restitueret ecclesie ac captos quos ubique iniuste detinet absolveret cuiuscumque condicionis aut status existerent ac nichilominus ecclesias omnes et specialiter Cesaraug(ustanam)<sup>o</sup> Barchinon(ensem)<sup>p</sup> Tirasonen(sem)<sup>q</sup> et Gerunden(ses)<sup>r</sup> restitueret plene, idem dominus rex restituit et absolvit ac restitui et absolvi mandavit prefatum regnum Sicilie ecclesie Romane, et ex nunc restituit ipse regnum predictum, quantum in eo est, et omnes captivos cuiuscumque condicionis existant liberat et absolvit et liberandos et absolvendos precipit, ac ecclesias predictas restituit et restituendas plene ac libere precipit. Et si qua mandata in contrarium fecit, revocat et annullat tam in personis quam rebus eorum.

§ 2. Precipit nichilominus omnes iniurias per eum aliquibus perrogatas<sup>s</sup> tam personis publicis quam privatis et dampna per eum illata restitui et debita solvi ad cognicionem manumissorum seu executorum sui testamenti seu sue ultime voluntatis.

§ 3. Quibus peractis et perfecte completis, quantum in domino<sup>t</sup> rege fuit, prefatus guardianus, audita diligenter et fideliter devota confessione peccatorum omnium ipsius domini regis, eundem in mortis articulo constitutum a vinculo excommunicacionum quarumlibet et ab omnibus peccatis suis auctoritate ecclesie absolvit et sacramentis ecclesie ac communioni fidelium restituit.

§ 4. Postque omnia eidem domino regi petenti ac cum summa instancia requirenti corpus Domini sibi ministrari, idem guardianus in presencia predictorum et aliorum prelatorum et multorum religiosorum corpus Domini sibi ministravit et tradidit. Et ipse dominus rex corpus Domini cum multa devocione et reverencia, prout ex signis devocionis manifeste apparuit, recepit,

j) fossibus *A*

k) ferrarius *A*

m) massiliensi *P*, Marsiliensi *S*

n) celsone *S*

o) cesarauguste *S*

p) barchinone *S*

q) taragonensem *P*, Tirasonensis *S*

r) gerundensem *P*, Gerundensis *S*

s) irrogatas *Ar PS*

t) dicto domino *Ar P*